

Resp. Syllogismus hic non est in 1. figurâ, ut videtur, sed in secundâ. Nam hæc verba, *id quod est rationale*, sunt subjectum majoris, animal autem est prædicatum, atq; ita Syllogismus est *purè affirmativus*, adeoq; in secundâ vitiosus.

5. *Qui sunt Electi, illi sunt vocati:*

*Pauci sunt Electi:*

E. *Pauci sunt vocati.*

Resp. Minor *virtualiter est negativa*. Nam sensus ejus est: *Non omnes sunt Electi*, quæ propositio actu & formaliter est negativa.

6. O. *Pater est à Deo* Ephes. 3. v. 15.

*Diabolus, quâ mendax, est Pater.* Joh. 8.

v. 43.

E. *Diabolus, quâ mendax, est à Deo.*

Resp. Sunt in hoc Sophismate *quinq; termini*. 1. *Pater*. 2. *est à Deo*. 3. *Diabolus*. 4. *Pater, quâ mendax*. 5. *Quâ mendax est à Deo*. Sciendum, in omni *propositione reduplicativâ*, qualis est minor & conclusio in hoc Sophismate *reduplicationem esse partem prædicati, non subjecti*, quod patet ex

Con.